

2207

LITURGICI.

2208

DCCCCXXIX.

R. 3344

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 131. 8. min. bene perscriptus, rubro distinctus, et in Calendario praefixo omnibus adminiculis tabellaribus ad ordinanda tempora instructo, auro argentoque comtus e piis Precationibus praecipue ad Ven. Sacramentum directis, et a quodam Coenobita congestis constat. In Calendario nihil peculiare praeter *Translationem S. Candidi* ad diem

23. *Maji*, de qua inter plures *Candidos* dirimere difficile est. Post Tabulam phlebotomicam ad Signa Zodiaci adaptatam fol. 14. Computus ecclesiasticus ab anno 1442. ad a. 1499. productus est, unde scripti Codiculi tempus defumitur. P. 2. brevis Instructio germanica: *Dise nachgeschribne tauel lernt uinden die funf vngewissen zeit &c.* Preces ipsae non carent omni superstitiuncula. Ita fol. 52. p. 2. *Nota secundum augustinum et platonem.*

*Corpora cuncta poli quingentis triginta duobus
Annis en redeunt ad eundem concio (sic) punctum.
Res corpus florem si quis fallendo tuetur,
Hec tria sunt venie, sunt mortis cetera queque.*

Fol. 70. habetur *Oratio katberine ad conflictum L. rethorum.* Fol. 75. ubi Vir pius longa enumeratione pro omni hominum genere Deo supplex fit, placet valde: *pro omnibus rusticis maxime nostris colonis, quorum laboribus nutrimur.* Ibidem orat *pro felici conseruatione illius sacri Concilij, quo Basileense* intelligi non dubito. Fol. 105. p. 2. continuo additur *Deuota exhortacio ad sacram cristi communionem, cuius initium: Venite ad me omnes &c.* Cum *quanta reuerentia christus suscipiendus sit vox discipuli. Capitulum primum. Hec sunt verba tua christe veritas eterna, quamuis non vno tempore prolata &c.* Quis non illico agnoscit Librum IV. *de Imitatione Christi* separatum a reliquis ita, ut retuli Vol. I. P. 1. col. 1086. Quis vero hinc inferet,

eum *Thomae a Kempis*, et quidem ejus temporibus non esse vicinissimum, nisi ignarus, quam saepe boni illi Librarii, aut nomina Autorum omiserint, aut falsa subfecerint genuinis. Ad Differt. quam *Desbillonius* editioni suae horum IV. Librorum *Manhem.* praemisit. Exemplum praesens etiam quoad numerum *Capp. XVIII.* cum veteribus Mfs. et Editionibus consentit, contra frivolum *Jos. Valarti* novandi pruriginem, qui ea in edit. *Paris. 1758.* 12. ad numerum IX. reductum iuit.

DCCCCXXX.

Codex chartaceus germ. Sec. R. 974 XVI. Folior. 43. fol. max. pereleganter scriptus, auro, minioque distinctus, et quondam Collegii S. J. *Neostadiensis* in *Austriapias*